¶ COMETOGRAPHIA

quædam Lampadis aeriæ quę 10. die Nouemb. apparuit, Anno a *Virgineo partu.* 1577.

Iris vt eſt ſignum, terras perijſſe ſub vndis:
Ignibus eſt ignis cuncta caſura ſuis.

Londini excudebat Robertus Walley.
Anno Domini, 1578.

¶REVERENDISSIMO PATRI,
ac viro ornatiſsimo Edmundo Epiſcopo Peterburgenſi, L. B. plurimam optat in Chriſto felicitatem.

(:)

CVM aliquot ante dies (vir ornatiſsime) a publicis negotijs, aliquantulum liberatus eram, (amicis quibuſdam efflagitantibus) Cometæ recentis naturam deſcriptione aliqua explanãdam ſuſcepi: partim vt alacrem animi mei propenſitatem eis declararem, partim vt tempus illud, aliqua cum fruge conſumerem. Scio vero quam periculoſam cepi prouinciam, et negotium quam anceps, lubricum et difficile. Quid enim difficilius aut periculoſius eſſe poteſt, quam de rebus altiſsimis, vbi hominum doctiſsimorum repugnantes ſunt ſententię, et cum tam multi Ariſtoteles et Ptolemęi, qui hodie vigent, conticeſcunt aliquid temere affirmare.

Heu neq; adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna: ſed argutos interſtrepere anſer olores.

τεχνὴν ego hic profiteor nullam, ſed τεκμηριώδη tantum exeguam: i. eſt medium quiddam inter meram inſcitiam, et mediocrem ſcientiam. Sed olitor (inquiunt) aliquando opportuna loquitur, et fieri poteſt, vt in tam verboſa oratione aliquid verum vel imprudens dicerem. Ad tuam autem ſanctitatem nuncupandam eſſe ſenſi, vt hoc pacto volũtatem meam gra-

tam tibi significarem. Mitto enim ad te tanquam specimen quoddam pietatis et obseruantiæ in te meæ singularis: Tu vero si existimes cuiquam prodesse posse, et nocere nemini, fruantur (si placet) alij: Sin vllum offendere aut pijs (a qua re ego longissime absum) scandalum esse putes, flammis (quæso) aboleto: Vale Ketteringa Ianuarij. 20. 1578.

Tuæ amplitudinis studiosiss.
Laur. Barriona.

¶LIBELLVS AD Lectorem.

SArcina sum rerum(quid rides) magna nouarum:
Si noua delectant, hic noua lector habe.
Hem vidistin'? Erat nouus insolitusq; Cometes
Nuper: Et hic aliquid monstrat adesse noui.
Hocciné tu nosti, noua qui pręsagia pandas?
Non. Sedenim per me noscere tute potes.
Ex gallo noscis fugientia tempora noctis:
At quid agit nescit, cum canit ille diem.
Nescit quid loquitur strepitans super arbore cornix.
Nil sentit cygnus, dulce canendo melos.
Tu tamen istorum garritu, auiumq; volatu
Multarum, prudens multa futura scias.
Sic quoq; tu quędam bene præsentiscere possis:
Cantibus his (nec sim prouidus ipse) meis.
Præcino conuusil labentia mœnia mundi,
Gallus vt auroram, dormit at ille canens.
Auspiciumq; tibi REGINA amplissima pango:
Vt cygnus, solers est male cygnus auis.
Dura sinistrorsum prædicit ab Ilice cornix:
Angle caue (cornix sim tibi stulta) caue
Scin' quid agis Lector? Tua sunt mea si tuus esses
Omnia, si falsus sim, quoq; falsus eris.
Ista ioco. Verum veluti tua nulla supellex
Quin nocet vt prodest, prodero et ipse nocens

FINIS.

GEns humana, diu scelerum iam mersa sopore,
Quid stertis? vigila, surgito; tempus adest.
Terra quatit, mare monstra refert, cœlum tibi flagans
Ventura pandit iudicis ora tui.
Turca time, treme Papa, tuam fuge (Sordide) vitam
Sacra cito monitus, iussa capesse Dei.
Si neq; te tellus, pelagi nec monstra mouebunt:
Terreat at rutilans face minante Polus:
Et pudeat toties frustra monuisse (tuorum
Vltorem scelerum ni mauis esse) Deum.
Nam venit vltrices iaculatus in æthere flammas
Supplicium accelerans (turpis Atheista) tuum.
Terribilem nihili censen' dare signa cometam?
Impia sectanti aut fundere læta tibi?
Cautior at tandem sapias, hunc volue libellum,
Vtile, suaue, pium philosophantis opus:
Atq; hac disce tuas prædici lampade pœnas
Dum foueas, duro pectore, turpe nefas.
Sin meliora sequens, rite hinc venerabere Christum
Factaq; syncero corde nefanda gemes:
Hic tibi non luctus, sed nuncia læta salutis
Fert liber, et lampas, perlege, disce, caue.

¶COMETOGRAPHIA LAMPADIS aeriæ quę. 10. die Nouemb. apparuit. Anno Domini. 1577.

OPINIO quędam multorum animos inuasit, omnia quę in corporibus istis inferioribus contingunt, a deo solo et vnico authore, sine causis vllis intermedijs prouenire. Quę etiamsi mihi aliquantulum a veritate aliena videtur, oculos et experientiam ad consilium adhibenti, vt sanctam tamen et Christianam iudico, quandoquidem in ea ęternam dei prouidentiam, et summam erga humanum genus beneuolentiam, maximamque pijs mentibus cōsolationem intueor et contemplor. Quid enim amabilius esse potest, quam persuasum habere, deum illum, qui me vnicè amore amplectitur: vnicum rerum omnium gubernatorem, administratorem, cōseruatorem, et effectorem esse. Tanta est profectò in hac sententia pietas, et diuinæ erga nos charitatis abundantia, vt omnibus in ea assentiar, siue rudes et imperiti sunt, et hoc causarum ignorātia dictitant: siue perpulchrè (quales multos noui) physiologia instructi, eam tamen ardenti et inexplebili Christianismi studio, negligunt: tanta est inquam in hac sententia pietas, vt omnibus in ea assentiar, et imperitis illis, (si velint) author essem, religiosam admodum hanc loquendi formulam esse, cum deo soli causam attribuūt, anni vicissitudinum, serenitatis, pluuiarum, ventorum, tempestatum, grandinum, Cometarum, et reliquorum meteororum, itemq; frugū, omniumq; è terra nascentiū, sanitatis, ægritudinis, et similium. Neq; vero cum Aristotele existimo Deum tantum primum et remotissimū vel vt Græci loquntur αἴτιον ἀκτιώτατον εἶναι: sed etiam in causarum serie illa, in qua nonnullę multis gradibus ab eo separantur, infimam quamqué et vilissimam ab eo dependere, et eum simul cum rebus abiectissimis, quæ vllam in se actuosam facultatem habēt,

Præfatio.

cooperari. Ex altera vero parte magos et astrologos eos, qui hanc doctrinā penitus conuellūt, et omnia fato fieri astrisq; gubernari contendunt: cum hoc nihil aliud esset quam Deum otiosum speculatorem et numen quoddā Epicureum statuere: cum omnibus omnium generum scriptoribus probatissimis, tanquam impios et atheos prorsus reijcio. Cautio tamen hic meo iudicio adhibenda est, vt neq; seruiamus rebus creatis relicto creatore qui est benedictus in omnia secula, quod faciūt omnes huiusmodi Magi et venefici: Neq; eam curam et prouidētiam rerum humanarum deo assignemus, acsi semper omnia regeret, et procuraret, sine vlla cælestis influentię et elementorum ratione habita. Nam etiamsi non est alligatus causis secundarijs, neq; eis naturę legibus, quas ipse rebus conditis indixit, cum hoc pulcherrimū mundi theatrum primo extruxerat: et omnibus sanæ mentis constat, tantam eius esse magnificentiam, vt infinitos huiusmodi (si lubuit) mundos, verbo suo condere potuisset, multo magis vel nutu disponere hæc minutissima, in infimo isto terrarum orbe: tamen cum eius potentia intra voluntatis septa semper continetur, et eum vt plurimum naturę viribus in hac vniuersitate temperanda vsum fuisse deprehendimus, neq; illud solum longa experientia, et quotidiana obseruatione, sed etiā sui ipsius verbi testimonio: Non video quid impediat, quo minus libere affirmem, sālua et illęsa eius maiestate, nullaque fidelium conscientiarū offensione: eum orbes cælestes, astra, et elementa obeundis quibusdam muneribus, tanquam instrumenta adhibere. Fecit (inquit Christus) solem suum exoriri in malos et bonos. Hic diserte mentio fit duarum causarum diurnę lucis, architectonicæ, primigeniæ, et principalis, Dei: instrumentalis, vero solis. At quis est tam vecors aut stupidus, qui non credit Deum posse suo fulgore nobis resplendescere? Quis tamen est qui non videt corpus solare, lucis et diei causam

ſam exiſtere, et omnia animantium genera ſuis radijs illuſtrare, ſuam vero lucem a Deo fonte puriſsimo, et authore ampliſsimo mutuari? Atq; ſimilis ratio eſt omniū rerum, quæ apud nos generantur, vel corrumpuntur, augentur vel diminiuntur, vel motu quouis alio mouētur. Sic vapores aſtrorum virtute è terra eliciuntur, poſtea aeris rigore in nubes condenſantur: Nubes deinde ſolis calore liquefactæ reſoluuntur in imbres, ex imbribus vero humus irrigatur:

Et hinc omnis ager, hinc omnis parturit arbos,
Hinc frondent ſyluæ, eſt hinc formoſiſsimus annus.

Ex iſtis tandem frugum abundantia, et vbertas magna oritur. Nos autem hæc omnia Deo aſcribimus ſoli: ſcimus tamen eum perraro hæc mortalibus conceſsiſſe commoda, ſine iſtis intercedentibus cauſis.

Ad eundem modum exhalationes ab aſtris quoque in aeris altitudinem euehuntur, et ibi (interpoſitis quibuſdam mutationum vicibus) aut in ſtellas tranſcurrentes, aut in Cometas, aut in alias (pro formæ differentia) varias et diuerſas faces ardentes conuertuntur. Ex iſtis autem aliquando venti, et tempeſtates, aeriſq; contagiones: ex his vero fatalis peſtilentia, et morbi alij periculoſiſsimi generantur. Recte autem Chriſtiani his calamitatibus oppreſsi ad Deum ſtatim (qui et inferendi et auferendi poteſtatem habet) confugiunt: et eum (ſic admoniti) vel vt patrem clementem diligere: vel vt principem potentem metuere diſcunt.

Intelligēdum tamen eſt Deum horum non ſimpliciter cauſam eſſe. Non eſt enim nocens natura Deus (vt inquit Cicero.) Hæc vero (quę interim ille ſemper in bonum finem diſponit) Saturnum, vel Martem, vel aliquod eorum naturæ ſidus terris infeſtum, in hominum vitam induxiſſe ſentio. Quædam enim peſtifera, et perniciosa ſunt: illa tamen non ex natura ſua, ſed ex totius naturæ corruptione, et labe quadam vitioſitatis

aliunde contracta. Concludo itaq; Deum omnium rerum conditorem, et fabricatorem, authorem, et effectorem, causam, et originem esse: recté tamen et fidei orthodoxæ congruenter, stellas reliquasq; res naturales ex eius voluntate vna sæpenúmero effectrices censeri, et eius nutu tanquam famulas quasdam operarias pendere: quæ eius iussa capessant, et munere eo fungantur quod illis assignauit, cum primum fabricam, et opificium huius mundi absoluit. Siue igitur solus operetur, vel horum adminiculò fretus, siue naturæ ordinem et cursum seruat, quem ipse olim creaturis suis inseuit, siuè prodigiosa miracula et ostenta ediderit, non magni interest, tota est eius laus, gloria, honos, decus et maiestas, nullaq; omninò res physica est, quin eum (hominem solum excipio) in hoc immutabili naturæ ordine, mirificis et æternis laudibus exornat. Nos vero (vt ad propositum nostrũ propius accedamus) in hac quæstione de Cometa isto, qui nuper oculis nostris expositus erat, ita versabimur, vt omnia referamus studia et consilia, ad eius nominis gloriam, itaq; vt occasionem et nobis et alijs præbeamus, cum Psalmista exclamandi Domine quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Hac enim Methodo procedam. Primo, causas et reliquas naturales affectiones tractabo. Est enim res naturalis Cometa: et Deus ex causis suis naturalibus non minus commendatur quam si tanquam Pyracmon aliquis solus ipse, suis manibus fabricasset. Secundo propheticas quasdam sententias é Tripode ipsissimo excitás istis adiungam: et vaticinium aliquod tandem (ex Physicis physica, et ex metaphysicis metaphysica iudicans) eliciam. His positis, subinde quem fructum et vsum populus Anglicanus hinc decerpere debet, exponam. Tunc vero quam certam spem, et fiduciam diuina benignitate stabilitam, sereniſsima nostra Regina ELIZABETHA ex eo concipere potest, ra-

Methodus

tionibus

tionibus expositis, demonstrabo. Obiter autem quos nouimus errores in hac causa inualuisse quo ad possumus (veritas enim omnibus rebus et amicitiæ ipsi est anteponenda,) conuellemus. Inter disputandum vero Sensui, et Experientiæ præcipuũ locum tribuemus, horũ autẽ si iudicio hæsitauerimus, τὸν λόγον ἀποδεξάμενος (quod Aristotelis consilium est in ipso Cometarum tractatu) omnem contentionem decernere conabimur. Primum igitur vt intelligatur quid sit illud de quo disputamus, definitione aliqua eius naturam adumbrare volumus.

Cometa est Lampas in sublimitate aeris rotunda, emittens, vel vndiq; plures exiguos vel vnum ex parte aliqua ingentem radium. Definitio Cometæ.

Hæc definitio vana et ridicula (fat scio) multis videbitur, quod in ea Cometæ causas figillatim non expresimus. Non est (fateor) adeo perfecta, quin ab homine feliciori acumine, magis perfecta excogitari possit. Attamen si aliquis veris rationibus expendere, vel ad Dialecticæ trutinam perpendere velit: non ita mancam et imperfectam (ipsero) inueniet, quin in ea vniuersam Cometę essentiam, et a cæteris rebus omnibus differentiam, et causas etiam ipsas, alijs tamen argumentis, tanquam integumentis quibusdam inuolutas, reperiet. Neque vero in Definitione, causæ, necessario requiruntur, sed causarum potius symbola illa: quemadmodum ex Dialecticorum schola didicimus. At ipsi Philosophi, quòrum iam diu magna est authoritas, longè aliter diffinierunt. Scio equidem et Philosophos ipse valdè admiror: Hic tamen eos tum Logicas definiendi leges violasse, tũ ipsa Philosophandi scientia nonnihil erraſſe, iudico. Cometa enim (quem illi exhalationem calidam et ſiccam, et ita deinceps prolixe nimis, definiunt) vt cætera taceam, non omnino

exhalatio dici debuit. Nam exhalatio quiddam tenue rarum, et subtile est, et ignem adurentē non potest sustinere: quin si forte aliquando ignescit, fulminis instar, statim extinguitur. In Cometa vero contraria insunt omnia. Exhalationis præterea forma, quam Cometę accessit, longe ante euanuit: cum forma igitur et res ipsa, et nomen. At materia (inquis) Cometæ confecta fuit ab exhalatione. Probe. Sic quoq; exhalatio ipsa, ab elementis, elementa vero a primis illis rerum seminibus: non tamen ita dicitur, neq; ita definitur esse, si vel Philosophicè loqui, vel Logicè definire velis. Definitio enim definit quid res sit, non quid res fuit. Fuit exhalatio (non inficior.) At exhalatio, primum mutatur in crassiorem consistentiam: illa, postquam formam suam adepta est, in Cometā. An pluuialem vndam vaporem dixeris? Aristoteles dicet hanc sophisticam categoriam esse, et vel bubulci ipsi (quippe qui sopissime experti sūt) in te insultabunt, aquam esse clamitantes. Et quis est a sensibus vel ratione tam alienus qui fulminis aculeum, fumum appellaret? Hic indoctissimorū hominum esto iudicium. Omnes (ausim iurare) lapidem dicerent. Vel ipsi etiam Philosophi, nunquid hominem ita definiunt? Homo est ignis, aer, aqua, et terra, quæ seminibus primo vtero materno coaluerūt: tūc autē in Embrionē mutantur: postremō in lucē animalis specie edūtur, cū multis aliis eius causis, et proprietatibus pene infinitis ānexis.

Fuit ille dies, quo semine tantum:

Speq; hominum primæ matris habitauimus aluo. Iam vero nō est, neq; nos semina dicendi sumus. Et quāto profecto melius, illi ipsi vno verbo animal dicunt? Idem de Cometa existimandum est. Res enim multo clarior, et facilior esset: si succincta (quoad eius commodo fieri potest) breuitate definires: quod si necessarium ad Cometæ intelligentiā putes, prius exhalationem, tunc vero Lāpada suo quæq; loco, quid sint explicares.

Acrior

Acrior, et ſpinoſior oratio eſt in hac parte, quã par eſſet, eo tamen conſilio ſic inſtitui, quod ſcio Philoſophiam in iſtis ſuis mysterijs abditiſsimis, a Muſis dialecticis inculcam et pene deſtitutam eſſe. Optarem vero Zenonem aliquem hic paululum operæ et laboris impendere, vt Meteorologiam politiorem aliquantulum, et manſuetiorẽ reddat, et tum Academicæ pubi, tum vniuerſæ plebi Anglicanæ gratiorem et vberiorem paulo efficeret. Quod autẽ ego (Lampas) genus (vt loquuntur Logici) in definitione conſtitui, quod vniuerſalem eſſentiam, materiam puta, et partem formę Cometæ comprehendat: illud quidem claſsicorum authorum exemplo, et authoritate auſus tui. Vt Virg. Aene. 9.

Princeps ardentem coniecit lampada Turnus.

Et Ouid. Met. 4. Pingueſq; ardere videntur
Lampades. et Sil. li. 1.
Ad terram cælo decurrens ignea lampas.

Hi Poetici triumuiri ſuis calculis concludunt (Lampas) et lucentem ignem, et ignitam materiam cõſignificare. Cometam vero huiuſmodi eſſe omnes conſentiunt, et oculi ipſi ſi nihil aliud, arbitri ſunt idonei. Reliqua definitionis parte cometæ formã, quæ a cæteris omnibus meteoris ignitis eam diſtinguat, explicare conſilium fuit.

Sed hæc pæne a me παρέργως dicta ſunt. Iam vero ad rem redeo. Antequam autem progredior, ſit hic noſter quem in manibus habemus, Cometa necne dicendũ eſt. In dubium enim a quibuſdam vocatur, et

Vtrum hæc Lãpas Cometa ſit.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus,

Qui ſtellam caudatam dixit, recte ille quidem et ingenioſe. Hæc tamen eius diſtinctio (vt mihi videtur) nihil diſtinguit. Omnis enim ſtella caudata Cometa eſt, quemadmodum omnis Cometa Lampas, Species enim

omnis, et nomen, et naturam generis participat
——————Vt perhibent qui talia norunt:
Dicat alio quocunq; nomine velit, nihil moror:
Ego audeo certò affirmare Cometam esse, si quem vnquam vel hominum memoria, vel literarum monumentis apparuisse constat. Vera definitio, omnesq; proprietates, et genuinæ Cometæ qualitates huic quadrabunt: Cometa igitur. Quamuis autem græca vox (Crinitus) latinè sonat, a Philosophię tamen magistris tam pro caudatis et barbatis stellis, quam crinitis generaliter vsurpatur. Illud caudatæ nomen Aristoteli planè inauditũ et ignotum est, semel tantumodo distinctionis gratia, barbatæ (quam ille πωγωνίαν nominat) mentionem facit. Cum antiquissimo ergo Philosopho, et omnibus pæne interpretibus, mallem antiquum illud et solenne Cometę nomen retinere, etiamsi συνεκδοχικῶς à significatione sua traducatur, quam nouum illud, (quod et vulgo contentionis et erroris causa fuit, et duplici pene Catachrêsi torquetur) approbare. Non enim magis stella est, quam noster ignis domesticus, ex sarmentis vel stramine, vel aliquo huiusmodi nutrimẽto fotus, quamuis sic Poetę, vel ipse etiam (nam Ἀστὴρ κομήτης semel aut iterum nominat.) Peripateticorum prniceps loquatur. Hæc ita, Iam ad propositum propius me conferam.

Causa efficiens.

Antea docuimus Deum rerum omnium effectarum causam primam et principalem esse, vti tamen stellis et elemẽtis organice multis negotijs peragendis. Hoc ratũ et confirmatum esto. Deus ergo huius Cometę causa est. Intelligo. Quid vero intendit Deus? quid molitur? Quid noui parat? Hic labor, hoc opus est. Et nemo vnquam de eius prouidentia, et consilio, nisi cui diuinitus ipse patefacit, quicquam omnino dicere potest. Pulchrè meherclè. Cur itaq; me tam diu inani oraculi expectatione ludis? Bona verba quæso. Non ego hic

oraculum

oraculum aliquod edere ſtudeo. Tu vero mitte huiuſmodi Sarcaſmos oro,(Lector humaniſsime) Diſputatio Theologica meritò iſtum locum obtineret,ſed hanc ego prudens in ſequentem reieci: Partim quod a Theologis ipſis,ſuis concionibus piè, et copioſe ante hac tractata fuit,partim quod rerum naturalium contemplatione facilius ad diuina aſcendimus. In iſtis enim ſigna quædam futurorum Deus inſculpſit,et tanquam literas, quæ ſuam voluntatem indicant, nobis commendauit, ex quibus forſitan aliquid præſagire potui : et

Eſt aliquò prodire tenus ſi non datur vltra.

Rectè tu quidem,perge porro. Quæ ſunt illa organa primum quibus Lāpadis iſtius materiā in ſublime euocauit et ibi in Cometæ formam diſpoſuit ? Hic ancipite cogitandi cura diſtractus ſū, et haud ſcio, an potius ,pfitear hęc me penitus neſcire,an coniecturæ opinionē ſequar, et dogma aliquod veriſimile ſaltē in medium proferam, Cometę generatio admodum obſcura et latitans eſt, et vnum vulgo habetur ex naturæ admirandis operibus, hominemq; Atlantis ingenio, et Neſteris plane experientia,cuius fibras ipſa Vrania penitus afflauit,ad cauſas eius abſtruſas indagandas requirit. Meum vero ſentio quam ſit exiguum ingenium et experientia quam puerilis: quare ſi in eius αἰτιολογίᾳ viris Mathematicis diſciplinis diuturno tempore exercitatis minime ſatisfaciam, minime profecto miror. Omnes tamen oratos velim,vt me tanquā homūculum quendā,vnum é multis probabilia ſequentem accipiant, neq; ita opinioni hærentem, quin facile poſſem ab eadem grauioribus argumentorum ponderibus abduci. Quid multa? Ex plagetis rutilum illud Martis ſydus, quantum ego perſpicere potui exhalatione materiam attraxit,nutriebat Iupiter,motum et vitam inſpirabat Mercurius, Saturnus poſtremo ſtabilitatem exemplo ſui motus attribuit. Nam mutua horum omnium operatio ad Cometam generandum

Generatio Cometæ.

neranda necessario requiritur, et hoc ex superiori Autumni Systemate colligo. Ambit tamen præ cæteris Monarchiam Mars, et vincit meo iudicio in dictione et dominatu gerendo. Quod quibus rationibus adductus sum vt sentiam, paucis accipitote.

Mars dominator huius Cometæ.

Primo, duarum magnarum Lunę Eclipsium dispositionē eius authoritati concessam habuit, quæ quantum adiumentum attulerunt copijs suis auxiliaribus, ad hunc Cometam formandum non est promptum dicere, vtræq; in Ariete, in angulo decimæ, in Autumno Cometæ tempore aptissimo, cum multis alijs rebus obseruandis. Quæ quidem sine dubio, rudimenta et semina quædam longo ante tempore huius Cometæ posuerūt.

Secundo, progressionis potestatem illā magnam, vniuerso huis Anni. 1577. curriculo solus obtinuit.

Tertiò ad omium pene planetarum συζυγίας paulo ante sese coaptauit. Nam 15. die Augusti coniunctus erat So. 21. eiusdem mensis Trigono radio aspexit Sa. 25. Septembris coniunctus Io. 9. Octob. Tetragono radio sese applicuit Sa. mitto aspectus suos cum inferioribus, qui valde quoq; efficaces erant in hoc meteoro conformando.

Quartò, Stygios suos et virulentos in Scorpione Penates tunc temporis inuisurus erat, in quibus tanquam princeps, vel. Tyrannus aliquis, in suo regno regaliter incedit.

Quintò, coitus Lunæ cum Sole in eodem suo Scorpionis domicilio constitutus erat, cuius ille gubernacula suo iure vendicat, quę pridie ante fuit si 10. die Nouemb. Vèl coniunctio sui ipsius cum Luna quę eodem ipso die fuit, si 8. primo apparuit: ex qua duplici sua potestate hoc ipso instante, vires eius quę antea tacite et sopite quodammodo delituerunt, vehementer excitantur.

Sextò, locus in quo apparuit Cometa argumēto esse

potest

poteſt, qui erat (ſi Zodiaci longitudinẽ reſpicis) circa initiũ Cap. exaltationis ſuæ celſiſsimę, vbi alter alterũ ſextili aſpectu intuebatur, Sed locum ſuo loco tractabimus.

Septimò color. Nam aut ego peſsimè oculis perſpexi, aut mihi videbatur colorem rubore quodam aſperſum præ ſe ferre, in radice autem ſuæ caudæ ſulpherias quaſdam ſcintillulas eiaculari.

Octauò, Motus eius relabens, hoc enim magnoperè conuincit in materia grauitatem fuiſſe, grauitas vero fidem facit ab aliquo ſuperiorum excitari. Mars autem ſuperiores omnes multis modis (vt demonſtrauimus) antecellit.

Nono eius duratio, et imbres impetuoſi, qui agminatim deſcenderunt, ſub ipſo primo apparitionis tempore: Madidis enim (loquor poetarum more) Notus euolabat alis.

ac ſi tellurem effundat in vndas
Diluuio miſcens cœlumq; in Tartara ſoluat.

Nam vapores, qui primordia ſunt imbrium, et exhalationes, quæ ſunt tanquam elementa Cometarum, ſimul ab aſtris excitantur, ſecernuntur poſtea in aere aſtrorum quoq; virtute. Iam verò magnã vaporis copiam, pluuiæ: exhalationis, duratio Cometæ arguit: a potentiſsimo ergo, et calidiſsimo radio exhauſta erant: in artrahendo autem nullus potentior, aut violentior eſt Martis, a Martis igitur. Potui hic multis alijs rationibus, docere, a Martis potiſsimum noxio fulgore exhauſtum et exhalatum eſſe, et maxime ſub eius imperio poſitum. Sed hæ (ſpero) ſufficient. Quod ſi a tam infauſto ſydere excitetur, non ego audeo bonum aliquod, aut lætum omen hinc ſperare, ſed inauſpicatum et mortalibus potius infauſtum. Eſt enim illa ſtella poſt Saturnum, plantis, animalibus, hominibus, omnibusq; terrarum incolis inimiciſsima. Eſt vt ais, (hic exiſtimo occurris) ſed quid ſi ab alia præter opinionem tuam exhauſta fuit iſta pyra, et alterius magiſterio diſpoſita. Τεχμήρια quibus illud

Indicium Aſtronomicum ab efficiente

aſtruo, iudiuiſti, quæ ſi putes languida et enerua ta eſſe, diuinationem noſtrã falſam et inanem iudica: ſin aliquid in ſe roboris, et firmamenti habere, eis poſitis et conceſſis, quæ neceſſario inferuntur, concedere oportet. Et iure quidem. Age verò: quid ſi concedã, Numquid alia præterea ex his colligere potes? Multa. Audiamus quæſo? Poſito Martem huic tedæ candẽti præcipuè dominari, et ex eo prauitatem ſuã magis ſuſpectam eſſe: ex hac viciſſim ſua tam magnificæ prolis generatione ſequitur, vires eius vehementer auctas, et excitatas fuiſſe. Hoc iterum conceſſo, in alijs ſuis muneribus exequẽdis, eaſdem ne exerceat metuendũ eſt. Qui enim potentiæ ſuæ tam laxas, et remiſſas habenas habet, vt opus tam egregium, et difficile abſoluat: quod facilius eſt, crederẽ eũ aggreſſurũ. Aeſtas itaq; hæc quæ ſequũtur (antecedẽtibus conceſsis) Mars ipſe regia ſua authoritate, tãquã edicta quædã, promulgat, rapido ardore hominũ corpora delaſſabit, et

Acer anhelantes incendet Sirius agros.

Fulminum iactus, et tonitrua mortalium animos attonitos nonnunquam reddent.

Febres ardentes, et alij omnium generum morbi a bilis feruore orti, regnabunt.

Direptiones, ſpoliationes, et interneciones: vel iurgia ſaltem, et diſsidia increbeſcent: et bellorum ſemina quibuſdam forſitan in locis diſpergentur.

Cometam horum (ne ſis neſcius) iam non dico eſſe cauſam, non magis quam in morbidis ſenibus Iſchiadã vel ſimilem dolorem, vimborum et tempeſtatum. Quoniam tamen eiuſdem cauſæ effectum eſt, arguit eandem cauſam ſibi cognatum et affine effectum producere.

Materia Cometæ.

Sed iam materiam videamus. Vtilis an inutilis materia eſt? neceſſaria ad fruticum et herbarum nutrimentum, an ſuperflua: quæ nimia ſua exuberantia terræ viſceribus et medullis erupit: Iam verò abſorbetur et feliciter

liciter in aeris sublimitate flammis exuritur, ne posthac humor minimè necessarius.

——— terræ venas distentet hiantes.

Sic vidētur quidam philosophari: Sed quomodò hæc cohærent. Statuunt idem exhalationem esse calidam et siccam. Hæc autem quam dicunt materia, frigida, est et humida, quę

Non bene conueniunt nec in vna sede morantur. Eadem profectó ratione vapores, qui tepidi sunt et humidi, é montibus exhaustos esse doceant, atq; exhalationes calidas (vt aiunt)et siccas è pluuiarum illis reliquijs. Elementa in se inuicem mutantur,esto. Non tamē ita in se inuicē mutātur,vt immediatè nos quidlibet ex quolibet fingamus. Quorsū enim tunc ab Aristotele, duo illa meteororum principia ponuntur, ἀτμὶς καὶ ἀναθυμίασις si sinè differentia, calida ex frigidis, sicca ex humidis, contraria illa quæ ex diametro pugnant, ex suis contrarijs oriantur? Aut igitur Cometæ materia non est sicca, aut certé ex stagnis illis et paludibus non fuit euecta. Huc accedit illud, quod si rectè pinguem et viscosam esse asserunt, male quidem aridam et siccam. Nam nisi alunde quam ex sensibus Philosophia hęc petatur tactus dijudicet pinguia et arida pene inter se contraria et repugnantia esse. Hic si mihi quæ sentiā,liberè loquendi copiam concedes,materiam ex duplici exhalaitone cōflatā esse dicerē: altera et præcipua illa quidem calida et humida,quæ dum mediam aeris regionem pertrāsit in densiorem et solidiorē substantiam mutatur, altera sicca et (exhalationis vi calefacta) quæ in aere noua quadam generatione terrenæ fæcis similitudinem subit. Hæ autem postquam commiscētur,et planetarum radijs comtemperantur,rogus iste assurgit: qui ex ea parte ignibus ætherijs accensa, flammam fouet, ex hac vero, (quod videmus in omnibus crassis et compactis corporibus vsu ve-

Cometæ materia ex duplici exhalatione constat.

aire) eius vim sustinet, vt ad tempus aliquod igne-scens durare possit. Est enim materia Cometæ compo-situm quiddam ex omnibus pene elementis, ita tamen vt præcipue calor, et humiditas in ea dominẽtur, Hu-miditatem intelligo in eis omnibus esse, quæcunq; re-solui possunt, etiamsi antea indurantur. Nisi enim (vt illud prius dicam) compositum quiddam esset, ignem edacem tam diu nullo modo ferre, et sustinere potuit. nihil enim eius ardorem sustinet, nisi sit densum, soli-dum, et bene compactum. Quod si humiditatis expers esset, flammam aliunde correptam, ne ad horæ quidem spatium fouere potuisset. Humidis enim nutrimentis tantum alitur ignis, nec vlla res omninò arida igneſcit vnquam. Præterea fumos non emitteret, arida enim in fumos non soluuntur, at fumos emittit (inquiunt) itaq; non arida. Neq; vnquam Aristoteles ait, materiam Cometæ simpliciter aridã esse sed semel tantũ σύσκιον πυρώδη quod (vt ego interpretor) de flamma ipsa incensa, potius intelligendum est. Quod autem illud ab effectis suis, ventis scilicet et siccitate probat. Respon-deo, hæc, ex multitudine et copia aliarum exhalatio-num, quæ vna semper euocantur, vel ex ipsa Cometæ flamma (ignis enim omnis vim quandam flatus con-ciliandi habet) excitari. Et quemadmodum Co-metæ præsagium faciunt ventorum futurorum, ita præ-sentium et instantium pluuiarum, hoc ex densa et li-quescente materia (tota enim non est æqualis, sed aliqua eius portio subsidet in inferioribus, atq; ea in aquas re-soluta defertur) illud ex ignibus suis æstuantibus qui-bus et venti excitantur, et aer incalescit. Eorum enim a transcurrentium stellarum materia, non solum differt in eo quod magis densa et solida est, sed quod viscosa, pi-cea, et glutinosa sit, quæ omnes qualitates ad aeris vni-uersitatẽ redeũt, et aeriæ sunt i. est calidæ et humidæ. Hæc si ita sunt, non fuit iste rogus ex tam inutili mate-

ria

ria constructus, vt fœcundiorem redderet terram, (nostrum omnium communem nutricem) eius consumptio: sed quod malè metuo, magis sterilem et infœcundam, et ex benigna matre iniustam nouercam. Nam nisi fuisset ex humore quodam radicali, et succo viuifico maxima ex parte collectus, igni fomitem, et nutrimẽtum tam diu nunquam præbuisset. Non enim ita inualescit, nec tam diu sustentatur ignis, nisi materia ad temperatam quandam mediocritatem proximè accedente, et qualis etiam propter vtilitatem suam magno pretio hac nostra vita communi habetur. Quod si is qui sanguinem profundit, corporis sanitati aduersatur, et qui arborum medullam exhaurit, arboribus nocet, et illa quoque flamma terræ vehementer incommodat, et eius vna incolis, quæ succũ et sanguinem eius absumit: Hinc enim sterilitas, frugum penuria, et inopia, hinc annonæ caritas, et multa alia incommoda. Ego vero existimo beneuolum aliquod aut fortunatum lumen terras tanto beneficio, et emolumento spoliare non posse. Concedemus vero si vis illuuiem quandam fœcis et Chaos squallidum hic absumi: Hæc autem nugas esse fictitias quæ a nobis dicta sunt, neque ante hac vnquam faces istas ardentes huiusmodi damna consecuta. Hoc tamen certissimum est, ex flammis istis crepitantibus, fumos turbulentos excitari, (et fumo enim flamma, et flammæ fumus est proximus) postea vero quam extinctæ sunt cineres quosdam suliginosos relinqui, quæ vtraque cum in aera dissipantur, quid futurum sit quis non videt: ex aere enim coinquinato crassis istis vaporibus, et reliquijs venenatis, spiritus animalium inficiũtur, et hinc pecorum lues exurgit, hinc volucrum strages scaturiunt, hinc inter homines pestiferi morbi sæuiunt, hinc fatalis pestilentia vndiq; grassatur. Medici iudicant vitiosos illos fuisse humores quibus corpus expedierunt, et vtilem illam euacuationẽ esse, si status corporis sequatur magis tranquillus et se-

Incōmodum meteorologicum a materia.

datus,et criteria aliqua laudanda obſeruare poſſunt: illam contra inutilē, quam ſçuiora συμπτώματα conſequuntur. In hac re medicorum prudētiam imitandam eſſe ſentio. Si vegetabilia in vere nouo alacriora inuenero, ſi herbas magis viridantes et ſolito ſuauiores olfecero, ſi deniq; vbertatem et maiorem copiam frugum videro,in illam ſententiam pedibus deſçendero. Sin contraria, contrarium iudicium feram. Conſilium probo, (inquies.)Sed diuinationem tuam iam audirem. Meam ain' tu? bene eſt: facultatem ergo meam diuinatricem habe. Poteſt ne Medicus ægrotantis habitudinem,et affectionem prædicere,e corporis excrementis,et reliquis prognoſticis,quæ illi conſideranda ſunt? Quid ni? Ex ea igitur analogia quam habent inter ſeſe Macrocoſmus et Microcoſmus, ſentio ſimiliter et poſſe et licere mihi, e mundi hiſce excrementis, aliquo vſque de rebus quibuſdam euenturis coniecturam facere. Si calor exæſtuans (inquit medicus) exedit corporis humores,malum. Si ſanguis vel humor aliquis,ad corpus alendum neceſſarius,exhauſtus ſit,malum. Si terra (inquam) febricitanti ardore incaluit,malum. Si eius pinguedo,et nutrimentum, in aeris altitudinem procul ſit delatum, et ibi vel in nihilum Vulcano exactum, vel in fumos quoſdam fœtidos conuerſum, malum. Ita autem ſit in Cometarum incendijs:malum igitur. Hæc a me generaliter dicta ſunt. Quid vero ex hoc euenturum eſt tu ipſe collige. Certe,ſi auſpicium aliquod læuum ſecum ferrent, et in terrę commodum Lampades iſtiuſmodi inflammatæ eſſent, exiſtimaſſem naturam (quoniam ſemper animalium conſeruationem, et rerum omnium ἐυπρεπίαν prouida reſpicit) crebriores in cęlum euehere,quemadmodum nubes,vētos, caligines et id genus alia. Hoc vero non facit et ſi feciſſet, non dubium eſſet, quin alma Tellus cito in eaſdem anguſtias incluſa eſſet,atque fuit Phaëtontæa mundi conflagratione,eandemq;

demq; apud Iouem orationem haberet.

Si freta, si terræ pereant, si regia cœli
In chaos antiquum confundimur: Eripe flammis
Si quid adhuc supereſt, et rerum consule summę:

Sed in hac parte longior sum quam orationis mediocritas commode ferret, et plura dicere de terræ sterilitate, aut caritate annonæ non audeo, ne hoc pacto latam aliquam tenacitatis seneſtram Harpyijs auaris patefacerem, qui semper omnibus modis laborant, frumenti, rerumque omnium venalium pretium in immensum augere, et ob id fruges suas in horrejs, nonnunquam etiam in terræ cauernis in diem (quòd aiunt) viuentes, recondunt. Quæ res procul dubio ad penuriam, et indigentiam in hanc noſtram florentiſsimam, et nobiliſsimam Insulam accelerandā, satis magna causa esse potest.

Sed iam forma se offert considerandā. Hanc ob oculos tuos graphice in fronte libelli depinxi, in ea igitur describenda immorari nolim. Insignis hic Morosophia esset, de caudæ suæ (sæpe loquor vt vulgus) magnitudine, et eiusdem introrsum flexione impia curioſitate me ipsum ringere: Aliquid tamen ne nihil omnio dixisse videar non abs re erit dicere, neque in hac parte lectoris æquitati et beneuolētiæ diffido, cum in ea, bellé si errarem me hominem ostendam. Forte tanta fuit materiæ congeries, et moles tam indigesta: vt non potuit quiſquis ille fuit, omnē recte disponere, et in vulgarem Cometæ formam redigere: Sed causam (non enim me pudet fateri nescire me ea quæ nescia et ignorare quæ ignorem) plane ignoro. Qui radium ita longitudine expansum et dilatatum habuit, arbitror vix alium vnquā extitisse. Quemadmodum igitur longé lateque, radius eius passus et ptensus fuit, ita effectum suum, istac, et illac, cominus, et eminus diffundere sentiendum est. Reflectionis causam, Martis virtutem attractricem pono

Forma et iudiciū ab eadem.

qui á latere hunc ſuum fœtum informem reſpiciẽs, extimam radij partem trahendo replicauit. Sed quid ego has nugas vendito. Sanctam interpretationem hinc videor me poſſe elicere, velle ſcilicet Dominum noſtrum Turcas, et alias ſuperſtitioſas gentes, quæ Aſiam, Affricam, et Græciam Europæ partem amæniſsimã, antiqua illa Chriſtianæ Religionis domicilia incolunt, a craſſa illorum Idololatria (ea enim verſus, tanquam inuitantis geſtum referens ſeſe inclinauit) ad Chriſtianæ religionis profeſsionem, quæ his Septentrionalibus terrarum angulis concluſa eſt, tandem aliquando, in recalcitrent ipſi reuocare.

Hic verò piũ illud vaticinium noſtratis cuiuſdã quod is ex caudæ ſuę flexu retorto in hunc modum effatus eſt multum commendo, precibuſq; ardentiſsimis apud deum contenderem vt firmare velit. Et fieri poſſe crederem, Orientales gentes anilibus deliramentis, et papiſticis ſuperſtitionibus ſpretis, et deuotis: veram Chriſti religionem amplexari, et nobiſcum ἐν κοινωνίᾳ τῶν ἁγίων conſpirare, noſtrorum hominum miniſterio illis εὐαγγελιζομένων. Neq; vllum tam dirum omen mortalibus eſſe poteſt, quin in quorundam, præcipue fidelium commodum cedat. Coeant enim mundi elementa, ruat cælum εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν τίς καθ' ἡμῶν. Vel quid ſi ex curua ſua flexione hic Chriſtus ἀποκαλύπτει falcem illam, quam in meſſem mundi iam diu maturescentis immiſſurus eſt. Verbum ſapienti ſat eſt, et

Quis ſit an adijcient heſternę craſtina vitæ
Tempora Dij ſuperi.

Sępenumero ante hac ex Pyromãtia, prædõſtrauit Deus quibuſdam religionis, fidei et morum mutationes. Ego vero de hac re nec poſſum, nec audeo aliquid ſtatuere, animus enim inter ſpem et timorem fluctuat. Significata in eis regionibus maxime apparebũt in quas extenditur cauda. Hæc antiquiſsimorum et ſolertiſsimorum

morum astrosophorum doctrina est, omnium gentium, et populorum pene consensu confirmata. Quare siue in bono siue in malo Oriēs et meridies magis participes erunt, quā vlla alia plaga. Illis autem deriuabitur effectum ex contraria parte, ex Occidente (puta) in quo stella primo emicuit: vnde facile inferre cuiuis in promtu erit, quæ prouincia Britannię (si quam in ea significationē habet, quod modo vt possumus discutiemus) eius fauillis maxime obnoxia erit. Ex forma a Ptolemæo (vt refert Bonatus) exotica et peregrina voce Partica dicitur, quam sic definit. Partica est (inquit) quæ habet radium densum, ac si post se stellam traheret, et non est multum lucida. Significat vero (ait) siccitatem et aquarum paucitatem, et annonę penuriam, et alia insuper ex natura Planetę cui iuncta est. Hæc ille. De forma vero multa alia hoc in loco dicere potui, quæ brevitatis causa omnia, pretermitto.

Nunc igitur operepretium est Topographiam aliis quam deliniare. Hic variæ et multiplices opiniones in vulgus sparguntur. Non desunt, qui affirmant in Scorp. primo apparuisse, paulo ante Solis exortum, et eodem quoque die postea in Occidente effulsisse. Sit ita esset miraculo quouis pene admirabilius esset, et monstrum plane in rerum natura. Nam sic duorum signorum spatium integrum 10 horis permearet. De vespertina eius apparitione apud omnes constat: de loco tamen (quod quo die primo apparuit incertum est) iure ambigant, qui volunt. 10. die Nouemb. apparuisse, oculati testes infiniti: quin et 9. et 8. non nulli sunt, qui cōstanter dicunt: et illi etiā quorū est spectata fides et probata authoritas. Ipse primum 11. nouemb. sub noctis crepuscula post horā tertiam aspexi. Quo fit vt non potui (nam non multum ab occasu fuit) exploratum aliquid habere de loco, nec stellas finitimas dijudicare. Cum igitur oculorum testimonium, quod certissi-

Topographia Cometæ.

simum esset non habeo περὶ τοῦ λόγου agendum est. Sol tũc occubuit 15. Minut. post ho. 4. in 29. gra. Sco. existẽs: Cometa vero circa 7. ex quo sequitur seiunctũ fuisse a sole pene, 40. gra. Itaq; vel in Capr. vel erit vicinitate positus. Strictius sic, Post Solem occubuit triũ ppe horarũ spatio: proinde (nam in pauca redigam) non multum ab initio Capr. Ad hæc, postridie quam vidi Luna ei coniuncta fuit, Luna autem in Capr. principio tunc temporis versabatur: ergo et Cometa. Sed quorsum in loci inquisitione tam anxie hic insisterem? siue in Capr. siue in Sagit, siue alias non multum refert: Cum neque eadem aeris portio omnibus, idem cæli punctũ intuentibus interposita est.

Hic iam campum video videre ominandi calamitates et miserias lapsuras in vrbes Insulas, et Regiones, quæ sub amplexu huius ętheriæ plagę subiacent quales sunt remotissimæ illę Regiones, Indorum, Aethiopum, et similium. Veruntamen quod et secundum probatissimorum Astronomorum placita, loquor: non magis in eis quam in alijs locis euenturum aliquid expecto, nisi alia cõcurrunt et coincidũt. Hæc autẽ tria sũt potissimũ. Primũ: vt loca subiecta sint ita disposita, vt recipiant significationem Cometę ex mutua habitudine inter agentem et patientem. Cometæ enim quemadmodũ stellæ non imprimunt influentiam aliquã, sed inclinationem tantum superfundunt et in eas tantum partes, quę aptæ et idoneę sunt ad inclinationẽ hanc accipiendam. Secundum vt Regionibus illis impendeat, vel saltem adiacentibus et finitimis. Nam ex illis præcipuè verisimile est materiam excitatam fuisse, et vapores suos in easdem postea dispellere. Tertium, vt aspectui quoq; eorum sit obiectus. Nam illis signum esse non potest quibus nunquam in conspectum prodijt. Et vix vnus è multis vniuerso terrarum orbi, omnibusq; gentibus apparuit, sed nunc huic, nunc illi nationi,

prout

pront Deo soli libitum fuerit, qui illum populo suo tanquam legatum, et tubicinem præmisit. Sic quosdam legimus Asiæ, Africæ alios, alios Europæ visos fuisse: vnũ aliquando Italis, alium Hispanis, Gallis alũ, alium autem Anglis solis ostensũ esse. Quod ad hunc nostrum attinet mirum profecto esset si a tam longinquis nationibus videretur. Fieri autem potest, vt montes quidam ardui et excelsi (quidam vero sunt quorum sumitas ad mediam aeris regionem pertingit) præripiant e conspectu aliarum gentium. Hoc omnibus satis compertum est, vnam cæli faciem, vndique nubibus obductam et circumuallatam esse: aliam vero quæ 30. aut 40. milliaribus distat puram satis et serenam: vnde verisimile videtur, Cometam non omnibus pariter apparere, sed multis veluti reliqua omnia meteora delitescere. Hæc tria si in cometarum prognosticis tenueris non multum meo iudicio errare poteris. Quod si me iam de huius prouidentia interroges, velim tute sic cogites. Est ne Anglia præparata ad significationem accipiendam? Nunquid in hac nostra tam vberrimę glebę insula Cereris penuria est? Numquid solito frequẽtiores morbi increscunt? Numquid clandestinę coniurationes apud nos crebrę ineuntur? Numquid ab externis hostibus Martis horrentia intenduntur? Hunc nodum ego tibi ipse dissoluendum relinquo. Hoc dicam, tantam copiam frugum agricolas superiori autumno collegisse, vt plane παρὰ δόξαν et contra omnium expectationem videbitur, imo vero παρ' ἄνθρωπον ἀδιάστατον (nisi auari inexplebilis sitis hoc facit) hordei et frumenti caritate, plebem Anglicanam vel biennio sequenti plecti. Præterea cogitare debes, vtrum impendeat nostris verticibus nec ne. Opinor existimes, non. Prope tamen accedit, neque ita multum abest, cum circulum occupat meridionalem, quin potest aerem, (nisi deus infinita sua benignitate, a putredine vindicet)

multum vitiare et efficere vt torpeat quodammodo et squalleſcat.

Et tua res agitur paries cum proximus ardet: Vtrum a noſtratibus videatur necne, putes me delirare ſi dicam, Si adhuc te certiorem fieri cupis, quære ab aliis vt a Germanis, et Gallis vtrum illi videbant nec ne, ſi viderint, iudica eos participes fore euenti. Si multi, quiddam multis ſi omnes quiddam omnibus commune (quid autem illud ſit omnes intelligunt) euenturum expecta, ſi tu ipſe ſolus videris tunc maxime tibi ipſi timendum eſt. Illud vero non eſt prætereundum quod in Occidẽte primo illuxit vt et alij in his ſeneſcentibus mũdi tẽporibus nõnulli, Occidẽs autẽ quod ex vi verbi innoteſcit, et ſydera cadentia declarãt et Aſtrologi ipſi præcipiũt: caſum, finẽ et interritũ ſignificat. Quẽadmodũ cõtra Oriens naſcentis alicuius originẽ, vitã, et initiũ. Vt igitur illa ſtella quam in Oriente magi viderunt Chriſti cunabula tanquam Triton aliquis buccinabat: Sic ἀνάλογως ſequi videtur hanc quam in Occidente vidimus, ſummum reum omnium occaſum, et ruinis cito collapſurum Chriſto cœlitus denuo veniente,

Ipſum conuexo nutantem pondere mundũ

Si plura de loco huius Cometæ deſideres, lege vltimum Ptolemæi aphoriſmũ. Ad motum eius iam accedit oratio. Aſſerunt Peripatetici ſupremam aeris regionẽ quæ Cometarum ſedes eſt, trahi cum ſphæris cæleſtibus impetu primi motoris, Et recte ſane. Nam hinc ſit vt omnes Cometæ ſtellarum inſtar ad oriente ab occidentem circumferantur, et in gyrum quaſi torquentur. Sed præter hunc motum quidam ad ortum alio motu retrocedunt. Fit autem in eis in quibus magna materiæ crudi-tas et pondus ineſt, quippe aliter relabi ad ortum non poſſãt ni primo motui reſiſtant et repugnent. Qui vero in vno loco conſiſtunt, ex rara et tenui materia congeſti ſunt, qui propter tenuitatem reſiſtere non poſſunt. Hi

Motus Cometæ.

autem

autem bellum ab indigenis indicāt: Illi vero ab alieni genis inquit Ptolemæus. Causam reddunt interpretes, quod horum materia ab inferiorum corporum viribus, illorum a superiorum collecta et excitata fuit. Vis me iam applicare hanc Cometomantiam? Certe nihil opus est. Sed quoniam ita vis, mouetur iste inquam: quiddam igitur magis periculosum portendit. Magnā pręterea in motu suo ἀνεμαλίαν habuit: aliquando enim velocius, aliquando tardius mouere, aliquando cæli interuallum aliquod transilire, aliquando immotus consistere videbatur: Primo caudam in Orientem per Austrum: postea in Aquilonem, tandem aliquando in Orientem iterum porrexit. Papæ quid hoc est; Si causam ignoras, finge te nauem aliquam inęqualiter pelago agitatam videre, (similis enim propemodū causa est vtriusq;) Nam vel ex spiritu aliquo impellitur, vel ex sui ipsius pondere truditur, vel ex leuitate cum subsistit (quandoque enim leuior quandoque grauior erat,) retrahitur vel aere irregulariter agitante voluitur et conturbatur. Incredibile pene est quantæ discordiæ et conflictationes tumultuantes in aere supremo his temporibus gerebantur. Aer vero si respectu globi terrestris fundamentum est, et in fundamento ipso tanta sit laxitas: vel si respectu huius nostri diuortij sit tanquā tectū et obtegumētū et in tecto ipso tanti sint motus et tumultus: Quid nobis qui intra parietes ipsos habitamus confidendum est? Nullubi profecto gentium iam campos illos Elysios inueniemus, nullubi terrarum fortunatas insulas. O soli beati sunt illi animi qui corporis vinculis soluti, cæli tutissima regia cum Christo vitam agunt suauissimam: Soli mihi credite Cælicolæ sunt felices.

——————————dicique beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Sed progredere. Quam partem versus mouetur? Aquilonē, et Septentrionem versus cedo quemuis arbitrum

Hoccine aliquid demonstrat? Nostram opinionem hoc in primis corroborat et confirmat. Quod enim ad Septẽtrionem ferebatur, alicuius rei finem et extremitatem denotat: Nam etiamsi in circulo neque sit principium neque finis, cæli tamen terminum quendam Astrologi hic designant (quoniam axes circa quos mundi moles conuoluitur, hic finiuntur) et ob eam causam Polum nuncupant. Vehemẽtiorem præterea siccitatem et sterilitatem declarat. Quod probabili ratione dico prẽter Empiricorum multorum obseruationes. Illinc enim significat Aquilonem hoc anno turbulentius sæuire, ventos enim ex ijs partibus excitant in quas feruntur, quod multiplici tum Cometarum tum stellarum transcurrentium inductione (si non satis manifestum esset) docere potui. Ventus autem iste omnes fœcundas nubes et imbres fugat et solum exarefacit: vt sæpe Ouidius.

Protinus Aeolijs Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes

et paulo post.

——————Nimbisq; Aquilone remotis

et alibi

——————Victosq; Aquilonibus Austro,
Fusca repurgato fugiebant nubila cælo.

Placet hæc ratio (inquies) et Ouidiana ista authoritas valet. Tu vero si potes expedire quando hæc euentura sunt, gratum opus nobis profecto faceres. Credo equidẽ. Tunc forsitan formicam sapientia anteires. Quando principi æthereo visum fuerit respondeo. Hoc scio (inquies) Aliud ego non scio nisi quod nihil scio: Mea enim cognitio ἀκαταλήπτῳ nulla est. Et Deus ipse in sua solius potestate χρόνους καὶ καιρους posuit. Non procul tamen hęc eius significata abesse conijcio. Eo tamen longius procrastinabuntur quod occidente post Solis decubitum apparuit. Sic enim Meteorologi docent Si mane ante solis exortum appareat, citius opus suum perficiet

perficiet, sin vesperie regione tardius.

Cronologia adhuc superest, quam certo definire nequeam, quoniam ad hodiernum vsq; diem 16. Februarij non extinguitur, sed tanquam tedæ cuiusdam fuligo tandem euanescere festinat. Cronologia.

Pene vltra limites quos natura dedit, transiliuit. Est enim longissimũ durationis spatisiũ κατὰ τὴν φύσιν 160. dies: longius tamẽ multi ardendo durescere feruntur: sed παρὰ τὴν φύσιν illi, si quid scriptorum præstantissimorum consensus valet. Dominum igitur illum naturæ suppliciter et ardenter oremus,

Rite secundaret visus omenq; leuaret.

Circa natales Christi, aliquam suã magnitudinem amissam (acsi noua quædam eius materię accessio facta esset) recuperare videbatur: cuius rei causa inuestiganda, hic solicite non laboro. Indicat forsitan effectorum nouum incrementũ accedere. Tandẽ vero (paucis enim cõcludam) prope Sedile Cassiopœæ acquiescit. Quinque igitur signorum interuallum ad minimũ permeauit 99. dies durando. Hactenus accepistis (crassa quadam Minerua) Perigraphiam huius Cometæ ex causis situ, motu alijsque sui circumstantiis et proprietatibus: ex istis etiam iudicium aliquod Philosophicum sigillatim pro Methodi institutione expositum, et argumentorum consequentijs conclusum. Conclusio primæ partis.

Quid vero futurum sit, certo pronuntiare non possum, nec quando, nec quibus. Nam et eo difficilius est, quid significent Cometæ præsentiscere, quod semper nouũ quiddam, inauditum, insolitum, et necopinatum significant. Vt tamen omnes ambages iam omittam, et paucis opinionem meam effutiam. Sentio (scio non dico) ventos hoc anno. 1578. Aquilonem, et Boream præcipue immanes futuros esse, et graues aeris turbas, et seditiones concitari: auram instabilem: sed maxima ex parte calidam, et siccam. Sentio præterea (at hæc se-

quente potius) aeris quandam καχεξίαν pestiferam fore, et hinc animalium luem oriri. Sentio deniq; sterilitatem et exinde vegetabilium ἀτροφίαν, hinc vero caritatem annonæ procreari. Horum quidem omnium, aut plurimorum, aut vnius saltem, causa potest esse naturaliter nisi Deus prohibeat. Dicta enim hæc a me sunt sub Hypotheli, nisi scilicet mundus conuersus pœnitentiam agat, et ille misericors pater.

Det veniam oblatis precibus, et molliat iras,

Bella et seditiones ex causa aliqua naturali inter homines, qui vel rationem ducem sequuntur, vel diuino spiritu aguntur (quod modo tractabimus) significare non potest. Vetus tamen opinio est hanc secum significationem ferre: vt illud Poetę,

Illi etiam belli motum, et fera arma minantur.

Quicquid illud erit, nam aliquid profecto erit: Misereat te nostri Christe benignissime, et corrige nos (quæso) fauore tuo ad pœnitentiā: ne corripe furore ad perniciē. Sed in istis vt opinor satis. Vereor enim ne cum tam multa de cælo diximus, toto cælo errauimus. Et scio quam male audiant omnes, qui astrorum scientiam profitentur apud populum, cum in iudicijs suis aliquantulum errant. Atq; hoc est quod vehementer metuo ne meipsum populo deridendum propinarem. Si enim pollicitis nostris res ipsa vndiq; non respondeat, actum est: In belluam multorum capitum lanianduis incidisti: cū persuadere nequeas te vera edisserere, et naturæ legibus consentanea, posse tamē naturæ pædagogū illū reprimere, cohibere, preuertere, et trāsponere illa, et fallere astronomo, in iudicijs suis, et quadrata (quod ajunt) mutare rotundis. Quęcunq; a nobis dicta sunt, quod semel etiā antea dictum est hypothetice dicta sunt. Non prędemonstro, sed præmoneo, non denūtio, sed enuntio, non iudico sed indico. Sed in istis (inquam) satis superque multa.

Iam

Iam vero ad Deum nostrum, verum illum Κομητωπλάστην reuertendum est: cuius nomen sanctissimum propter infinitā eius humanitatem mirificé admirari, et sempiternis laudibus celebrare debemus. Secunda pars.

Est enim hoc singulare eius in nos φιλανθρωπίας argumentum, quod non incautos, et oscitantes opprimat sed clementer præmoneat, iamiam eum vindictam et vltionem de flagitijs nostris quęsiturum, ni resipiscamus, et ad patrem tam beneuolum, tanquam filij amantissimi animos tandem conuertamus. Quemadmodū enim specula sīgulis regionibus super mōtes quosdam editissimos statuuntur, vt periculum aliquod iam adesse indigenis demonstrent: Ita (quamuis ex multis alijs causis naturalibus consistit) Cometa iste, speculum quoddam est sine dubio, a Deo insigni sua prouidentia in aeris celsitudine accensum, et omnes qui aspiciunt admoniti, casus futuros resipiscentia præcauere discant. Hoc enim certo scimus, aut male, Χριστιανίζειν didicimus, eum maximo dolore (κατ' ἄνθρωπον loquor) affectum esse de nostra hac miseranda peccati securitate, et eum maxime anxium et solicitum esse de nostra salute, et summo bono procurando. Quod cū non potest efficere, prælonga et diuturna tollerantia, neq; nos ad eum redamandū suauissima Euangelij voce allicere: iam alia aggreditur via, iam minantibus Cometarum flammis, alijsque tum in cælo, tum in elementis, signis obstupendis, vel invitos cogere, et impellere molitur. Christus ipse in verissima eius Astronomia, hoc nobis prognosticon mundi senescentis, et sui aduentus reliquit. Et erunt (inquit) signa in Sole, et Luna, et Stellis: (et statim subijcit) cum hæc videritis euenire, cognoscite, quod prope est regnum Dei. Quando vnquam a mundi fundamentis iactis crebriores erant Luminariū Eclipseis? Quando frequentiores ardentes Cometarum faces? quando omnium generum plura prodigia? Tot

 tan-

tantaq; (mihi crede) quotannis eduntur, diuersis tamen locis, vt si vni oculo omnia obijcerentur, nihil aliud cogitet, quam extrema mundi fata iam appropinquare, et ignem illum edacissimum eum a tergo sequi. Loquuntur elementa, clamitant Astra, reboant orbes cæleſtes, intonant micantes Cometarum ignes: iam affore tempus,

Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli,
Ardeat, et mundi moles operosa laboret,

Ἀνθρωπε (Græce loquor propter nominis ἐτυμολογίαν) ἄνω τρέπε τὸν ὦπα σου. In cælum suspice: Polū candentē contuere. En tela Vulcanea, vel si mauis me latine loqui: Homo oculos in humū cōijce, aspice Cyclades mouētes, Intuere telluris hiatum, et hominē (vt ferūt) pene absorptū, cerne partus infādos, vide homicidia, adulteria, latrocinia, periuria, veneficia, mendatia et reliqua huiusmodi inteſtina et domeſtica prodigia: Et si non hanc vocē in secreto animi tui receſſu percipis susurrantem: (tēpus prope est) Mirabor profecto, et dicā te vehemēter surdū esse. Sed heus dicat aliquis, quo nunc te confers? Ne Sutor vltra crepidam. Recte mones, me reprimam, et quoad possum intra cancellos continebo. Hic tamen (quod et bona tua cum venia fiat precor) debeo auguſtiſſimam Dei μεγαλοπρέπειαν prædicare, et pro virili mea decantare. Non desunt enim quidam male feriati vates, qui ita extenuant hoc eius terribile signum, vt imperita multitudo, iam quoq; assuefacta istiusmodi visis, aut nihili pendet, aut plane (ᵱ dolor) contemnit, et illinc vel garriendi vel deridendi materiam arripit.

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther.

Vt merito Poeta. Et Seneca dicere solebat, se nescire vtrum magis timeat, an miretur cum Cometas tam formidandos aspexit.

Et necessario statuendum est, non inaniter et tanquam Scenicum spectaculum nobis exhiberi. Hoc enim non solum summę dementię, et extremę impietatis, sed au-

dacię,

datiæ pluſquã Gygæ eſſet. Neſcio enim quo modo animis noſtris inſitum, et inuſtum ſit, fatale quoddam ſignum Cometã eſſe, et ſemper aliquid noui ſecum apportare: Hoc vero non eſt reticendum: Si enim reticere volumus, tacitus Maiorum conſenſus affirmaret, et mutæ ipſæ Bibliothecæ loquerentur: Quod ſi hoc in genere omnibus Cometis perpetuum ſit, quanto magis in eo metuendum eſt, qui inter Cometas alios tam rarus, et admiratione dignus erat, quam Cometæ ipſi inter reliqua omnia meteora. Omni enim ex parte huic noſtro ſimilem, quantum ego vel auditione a patribus, vel lectione ab authoribus aſſequi poſſum: nulla vnquã ætas obſeruauit. Sed actũ (aiũt) ne agas. Et iam peropportunum eſt ſermonem ad noſtros homines paululum conuertere. Quoſdam ſatis accuſare nequeam, qui omnem huius Cometæ ſignificationem a ſe ipſis prorſus remouent, et in alios reijciunt.

Nemo etenim in ſeſe tentat deſcendere.

Sic populares, quid ad nos attinet (inquiunt) videant magnates: magnates vero, videant principes, et monarchæ. Interim papiſtæ in vtranque aurem ſecuri dormiunt, et ſummam rerum omniũ perturbationem adeſſe geſtiunt, et iam priſtinam ſuperſtitionem reuiuiſcere cogitant.

O cæcos hominum mores, O pectora cæca.

Quanto ſatius eſſet pythiam illam ſapientiam tenere γνῶθι σεαυτόν. Hic vero etiamſi quædam opinio inualuit, Cometas ſignificare bella atrocia, mutationem fidei, regnorum excidia, illuſtrium virorum obitus, et ſimiles Tragædias, quas animus horreſcit dicere, quæ etiã ſæpiſſime contigerunt poſt Cometarum tempora: Non tamen horum cauſa eſt Cometa, quemadmodum reliquorum quæ antea commemorauj, ſed tantummodo (ſi grauiſſime loquar) ſignum, et tale ſignum, vt inſigne ſcelus ſit ex eo alicuius Reipub. vel vrbis ſubuerſionẽ,

Vtrũ Cometa ſit cauſa bellorum et interitus magnatum neene.

Religionis, vel morum interitū, Primatum, et principū mortē proclamare. Horū enim nō magis causa est quā ebrietas beatæ vitæ vt lepide per Soritē παραλογίζονται Dialectici. Nobis autē qui physicis elementis hæremus, et omnia ex causa scire cupimus, dicere religio est. Sic enim diuinam Maiestatem summa contumelia afficeremus in eius possessiones irruentes, cum illud balbutimus quod nec Angeli nec dæmones dicere possunt. Hæc enim Deus solus in arcana sua sapientia posuit: Citius vero ignara multitudo fabulis incredibilibus fidē habet, quarū ratio nulla reddi potest, quā sentētiæ argumentorū momentis acriter cōclusæ. Sed παραλύγισμον videamus. Ex calidis Cometæ vaporibus inquiunt Philosophastri, aer exæstuat: ex æstu vero aeris, bilis augescit: ex bile, irarum ardor: ex ira, bella, et tumultus: ex bellis tandem rerumpublicarum ruinæ, et excidia: Horum plurima ex necessitate non sequuntur, sed contingenter. Certum autem aliquid statuere ex causis tam incertis insanū, et impium esset. Possumus in contrariū sensum hanc gradationem torquere. Ex calidis Cometæ fumis aer feruescit: ex feruido aere bilis oritur: ex bile irarum fluctus: ex ira, fortitudo: (est enim vt inquiūt Peripatetici fortitudinis eos) ex fortitudine victoria, ex victoria, gloria et status reipub. tranquillus. Vel si tantum malum ex cholera metuatur, purgetur Ellebero. Hoc enim non solum est humani generis dignitatem tollere, et Christiani hominis excellentiam prosternere, in eo quod tantum humoribus, et animi turbidis motibus trahatur et agitetur: sed etiam bellua quauis impotentiorem facere, cum non magis sæuiunt belluæ his annis quam alijs. Quod si cholera incensa in christianis hominibus et ratione prędītis, et numine cælesti imbutis bellandi et digladiandi occasio foret, in brutis sane quæ ne igniculū rationis habent, quo frænarent hos choleræ æstus, deuorandi et se mutuo dila-

niandi

ulandi certe, mitissimis animalculis veluti ouibus et columbis atrociter concertandi occasio existeret. Et eo magis quoque quod bruta semper in propatulo degunt, et gramina agrestia carpunt: homines vero plerunque in vmbraculo cibis bene concoctis vescentes, vitam agunt. Vt idicam quod sentio de viris nostris Anglicanis, Imperatorum, Senatorum, Tribunorum militum, Prætorum et reliquorum magistratuum, spero tam inuictum robur, et fortitudinem animis spirare, vt nunquam patientur se a bile feruescente in bellum trahi, sed consilio, prudentia, et ratione recta omnia gerent, et administrabūt. Si vero ab alijs quorum bilis ebullescit, lacessiti erunt, hanc iniuriam viribus Herculeis (non dubito) propulsantes, strenuè cum hoste pro patriæ salute in acie dimicabunt: Quod si faciant, victoria vel Elenchi illius censura potientur. Illi enim cadent (concluſit,) qui irarum stimulis perciti cum hoste congrediuntur: superabunt ergo alteri. Si periculum aliquod plebeis hominibus ex cholera metuatur, sentio remedium efficacissimum fore, œnopolarum, et cauponum insignia quædam remouere. Certissimum enim est maiorem bilis abundantiam, ex vinis calentibus, et alijs aromaticis poculis assidue exhaustis et ingurgitatis concrescere, quam ex aere Cometæ huius igniculis feruefacto. Vel si ponamus horum consequentiam veram et necessariā esse (quę tamen vt probauimus valde infirma est) Illud ex quo cætera omnia dependent, est falsissimum: flauam scilicet bilem hinc progigni, quæ homines magis acres, cordatos, et animosos reddat: sed aduſtam, et retoridam potius: quæ vel inuidos, vel tetricos, vel morosos, vel lymphaticos efficit, et Charibdim quandā ægritudinum pessimarum tum animis tū corporibus hominum iuundare facit. Nihil igitur physicum est in hoc Cometa quod nobis terrorem de vastatione Reipub incutiat. Sit ne Metaphysicū statim (si annuat Deus) declarabimus.

Alium παραλογισμον Sophiſtę ex cometarũ ſignificatione ſic contexunt. Ex putidis, et corruptis eius fumis contaminatur aer: ex aere contaminato peſtiferi vapores vndique volitant: ex vaporibus ſpiritus hominum ſunt infecti: inter homines vero pręcipue, et præ aliis optimatum, et principũ. Cauſam ſi requiras, reddent, quod lautioribus, et ſalubrioribus veſcuntur epulis, et magis in frequentia, et celebritate hominum degunt. Miror ex cuius cerebro hæc tam naturalis (puta me Anglice loqui) Philoſophia deprompta ſit. Paulus huic ſatisfacit cum dicit. Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Et quid ſtultius eſſe poteſt quam in eis cauſam naturalem fingere, vbi nulla omnino eſt. Nam vel hoc diuinum eſt, vel nihil omnino diuinũ eſt. Et hoc vel Ἀριστοτελικωτατον cuiuis occultũ eſt, vel Deus homine nihilo ſapientior eſt. Regius nuntius eſt (fateor) et regibus malum aliquod quandoque prænuntiat, non tamen ex victu eorum ſplendido ſed ex vita ſordida, et ſcelerata. Parum profecto intelligũt quam in phyſicis plumbei ſint qui hoc dicunt Efficiens enim vniuerſalis in particularem metam (vt docent ipſi naturæ ſpeculatores) nunquam ſe intendit. Et ſtellæ ipſæ tantummodo complexiones, et humores reſpiciunt, non ſpecialem aliquem hominem: multo minus Cometæ. Ego vero ſi ita ſit (inquam) cur non alijsquoque qui delicatis, et opiparis fruuntur cibis, imo vero qui perpetuo crapulæ, et vinolentiæ tanquam gulæ mancipia indulgent, qui etiam frequenter interſunt curię, foro, nundinis, et ſimilibus locis publicis, vbi maximus fit concurſus populi: cur inquam non parent infectionem iſtis, ex peſtiferis illis fumis attribuunt? Horũ enim humores citius putredine, et ſanie inficiuntur, quam eorum qui dapibus ſplendidis regaliter vtuntur. Non magis tamen illj, iſtis temporibus periclitantur, aut ſaltem non maius periculũ illis aſsignant, quam

eis

vis qui parcè ac duriter victitant. Iudices illæ honorariæ Obseruatio, et Experiētia hoc planè condēnant. Incolumes enim multi his annis euaserunt, cum subditi sui sæuiente peste vndiq; moriebantur. Reliqui autem non semper ἐπιδημίαι infecti, sed pleruńq; vel ægritudine aliqua affecti, vel senio confecti, vel veneno suffecti, vel ferro interfecti erant. Verum enimvero si illud ita esse concedamus vnicuiq; tamen (quod nostro sermone prouerbium est) natura remedium parauit. Principes vero et Nobiles semper medicos habent sibi famulantes qui antidotos (si velint) non minus efficaces ad resistendum noxijs istis flatibus et humores tutandos incorruptos subministrent, quam Moly illud quod Vlissi quondam dedit Mercurius. Non magis itaque expositi sunt ex naturæ institutis Cometarum radijs, quam subditi sui, imo vero aliquantulum tutiores quod præsidium tantum habent, medicinam videlicet, quæ naturæ pedissequa et ministra est fidelissima, quam multi desiderant. Quidam huius rationis tenuitatem altius perpendentes in eas angustias coacti sunt, vt causam per accidens esse tantum defendant: quoniam scilicet comprobatum est,

Magnorum clades populorum et funera regum
Hos Crinitarum dies aliquādo sequi: Principes verò et nobilium turba Quiritum hoc dum cogitant (aiunt) vel timore perculsi, vel tristitia aliqua affecti, extrema patiuntur. Non ego multum istis contenderem si de ijs principibus agant, qui scelerum conscientia perterriti animū exantlarent. Obijcio tamen subito eos, si ex horrore illud fit, interire. Ista enim animi passio tam repentinam vim præcordijs infligit vt hominē statim interimat, vti de Sophocle et Dionysio Siciliæ tyrānis legimus: Si ex tristitia, palescerent primò, paulatimq; contabescerent: tunc vero aliquo post tempore fatis occumberent. Neutrum tamen horum perpetuum est.

Hæc vero philosophica commenta ab ea impietate defluxerunt, quæ hominem persuasit illud omne inquirendo audere, quod nec Dæmon astutissimus possit, sed vnius et solius dei proprium sit. Cęterum ego hoc in loco Principes, et Satrapas, et omnes alios, qui nobili familia orti sunt (quos ego nunc magna reuerentia alloquor) hortor et admoneo, vt viros hic se præbeant et ἀνδρεαν virtutem illam, quę tum viros tum principes maxime decet studiose colãt. Huc enim res ipsa iam diducta est, vt vel ex aduersariorum nostrorum confessione, Cometa nihil in eos mali significet nisi ipsi animis concidãt, et sibimet ipsis deesse velint. Neque principes igitur aut nobiles vlli (vt attentius audias repeto) ex causa aliqua philosophica, et naturali, Cometæ iniurijs magis obiectantur, quam quiuis alij de media plebe. Vtrum Theologica et supernaturali, ex superstitioso numinis cultu, et Tyrannica in subditos suos crudelitate, alijsque flagitijs sceleratis (quemadmodũ de Neroniano illo, et alijs accepimus) hoc significare obseruatũ est. Contra vero eis qui sinceram Christi religionem amplectuntur, qui iustitiam et æquitatem in omni vita colunt, qui omnibus modis student

Parcere subiectis, et debellare superbos:

Nil tale significare potest, sed contrarium potius, (quoniam ex contraria prouenit causa,) diuinam scilicet benignitatem et fauorem.

Apostrophe ad ELIZABETHAM illustrissimam Anglorum Reginam,

Hic vero si me tuam Maiestatem (princeps celsissima et Serenissima REGINA) affari dignaberis, tantum abest vt ex hoc Cometa tuæ Christianissimæ personæ quid metuerem: vt εὐημερίαν quandam potius ex eo videor tibi polliceri posse. Quamuis autem ego homo abiectissimę cõditionis, et sortis sum, pro ea tamẽ pietate, qua tuã amplitudinẽ prosequor, et officio quo tibi sanguinẽ, et vitam, et si quid mihi vita charius esse potest, debeo: ad animi mei sententiã quãuis temerariam

ſiam illam quidem, tibi cõmendandã impulſus, et inci-
tatus ſum. Tuam vero maieſtatem ſupplicisſimus oro
et obteſtor, vt in eam partem interpretari velis, qua
ſoles conatus fideliſimorum, ſubditorum qui in tuam
ſalutem noctes atque dies inuigilant. Antea rationẽ ex-
poſui, quare phyſiologi Principibus malum ex Come-
tis denuntiant, quæ tibi quam friuola et inanis videtur
omnes qui viuendi rationem, et animi tui moderatio-
nem norunt, facile iudicant. Tanquam igitur conceſ-
ſum aſſumo nihil mali ex naturæ ſuę inſtinctu valitu-
dini tuæ minari poſſe, quin eiſdem remedijs, quæ ipſa
natura ſuppeditauit, anticipare potes. Sed nunquid diui-
nitus malũ aliquod lapſurũ reformides? Tãta eſt in ani-
mo tuo ſanctiſsimo Numinis veneratio, vt libenter (ſcio)
teipſam ſubijcis Chriſti tui potentiſsimę dextræ. Ve-
rum ſi hic quam præclara facinora tu pro eius immor-
tali nomine geſsiſti, ſi quantum ornamentum et decus,
Chriſtianę reipub. fuiſti, quã ex intermortuis reliquijs
in vitã reuocaſti, altius in animo verſari velis: niſi pu-
tes Chriſtũ verbo pretioſiſsimo et membris ſui ipſius cor-
poris charisſimis infenſum eſſe (quod factu eſt im-
poſsibile) fieri non poteſt, vt eam quæ membris ſuis
languentibus tam humaniter ſuccurrebat, iam ab hoc
incepto perterrefaceret, quin potius pro tantis tuis of-
ficijs, et tam Heroicis virtutibus, Cometam iſtum, ſi
aliquam in te ſignificationem habet, tanquam gratulan-
di ſignum repræſentaret. Quę enim vnquam princeps
a mundo condito tam bene merita fuit de eccleſia dei,
vt quę a papiſtica Tyrannide, in chriſtianam libertatem
vindicauit? Quę vnquam fęmina tantis virtutum præ-
ſidijs ornata, tam longo tempore, tam florentiſsimi
imperij Sceptra et gubernacula tenuit? Que vnquam
Regina tantam pacem, et concordiam ſubditis ſuis con-
ciliauit, cum reliquæ omnes finitimæ gentes malorum
pluſquam Iliade fatigantur? Lege annales, reuolue

Cronicorum monumenta: omnes tum recentes, tum inter quas: tum prophanas, tum diuinas historias scrutare, et quæ cum hac nostra Nympha, cælitus procul dubio ad nos delapsa certaret, inuenies neminem.

Tantum nempe alias inter caput extulit omnes:
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

En vobis Galli, En vobis Hispani, En vobis Germani, rem miraculo quouis magis admirandam. Cum vos sub Regibus vestris, et ducibus bellicosis in castris excubatis, insanis seditionum fluctibus, tanquam Furijs quibusdam exagitati, nos sub Regina nostra, et eius consilio ac prudētia quasi Palladis Aegide muniti, pace fruimur iucundissima.

O mihi tam longe maneat pars vltima vitæ,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta.

Cogita sic tecum amplissima et beatissima Princeps. An qui tibi tam felicē rerū gerendarum successum huc vsq; concessit? An qui te prę cęteris omnibus Regibus et Reginis, prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, religionis, pietatis et reliquarum virtutum omnium laudibus decorauit? An qui animam tuam sanctissimam a tam multis periculis imminentibus, ante hac sæpissime liberauit, iam exitium ipse intenderit? Quid? an tibi, quæ facta tam illustria pro eius nominis gloria gessisti? an quæ ecclesiam suam, in cineres ppe redactam, in vitam restituisti? An quæ tandē velut nutrix amantissima aluisti, iam vero magis atque magis illam fouere, augere, et amplificare studes? An tibi inquam hanc gratiam rependet, vt iratus (quemadmodum Neronem olim hostem christiani nominis inimicissimum) ista sua stella aspiceret? Perinde est, Dei ipsius et verbi sui suspectam veritatē habere, atq; hoc fieri posse credidisse. Imo vero blādo potius vultu arridet, et maximas in ea gratias agit, neque solum gratias agere, sed etiam præmijs amplissimis regnum tuum magis magisque locupletare et dilatare

latare videtur. Quantæ enim Gazæ, et Thesauri ab extremis illis terrarum oris tibi paulo ante inuecti erant, ex quibus quoque partibus stella ipsa pene tibi dirigitur. Neq; enim ita multo ante Neptunius ille Heros (qui nuper Septentrionalem mundi partem, prioribus seculis incognitam perlustrauit) optata potiebatur arena, et maiestatem tuã, magno laboris sui fœnore, nauibus (vt ferunt) auro onustis, Reginam Angliæ, Franciæ, Hiberniæ, et

(Da pater augurium atq; animis illabere nostris)

Cataiæ salutauit. Quod vt melius credas paulo ante illum diem, quẽ in cõmemorationẽ initij tui Regni felicissimi celebrare solemus, Cometa iste de cœlo effulgebat, quasi deus in eo tanquam indicio aliquo certissimo hoc omen confirmaret. Videtur enim sic te (Regina inuictissima) affari. Perge vt cœpisti ELIZABETHA charissima, bonis auibus vicesimum Regni tui annum auspicare. En tibi, noua alia regna, extremas illas terras possidendas commendo, occupato, tuæ sunt, tibi ipse dono, et colendas largior. Optima mihi crede Regina celsissima spero: iudico (si parcius loquor) mediocriã: de bono, non secus atque de æterna mei ipsius salute penitus persuasus, constanter perseuero.

Viuat et hic resonet, Regina beata per annos

Innumeros, quisquis: Iupiter addat Amen

Mirentur hic omnes (nec iniuria) et putent me vix mentis compotem esse, qui tam infortunata prius edixeram, iam vero tam prospera et fortunata promitto. Sed desinant paulisper mirari dum consilij rationem habeant.

Commoditas omnis sua fert incommoda secum,

Sit sorti appendix est illetabilis omni:

Vt recte Mantuanus. Principi nostræ, vtpote quæ semper principi cœlesti morem gessit, et omnes maiores suos pietate anteluxit, et hanc politiam nostram ex dei le-

 gibus

gibus, et institutis gubernauit, nihil mali portendere potest, quãuis ex malis causis oriatur, et mali homines clandestinis colloquijs male musitant, quin omnia bona et fortunata ei significare necesse est.

At nobis non video quomodo bonum aliquod, aut lætum nuntium adferat, sed potius κακαγγελίαν (si ita loquiliceat) quippe qui eius εὐαγγέλιον in filio, plerique aut contemnimus, aut repudiamus. Multi enim nostrum et Reipub. vtilitatem, et principis honorem, et dei gloriam pessimè respicimus, sed et patriæ munificentissimæ malos et adulterinos partus: principi mitissimæ rebelles subditos: et deo amantissimo, dominoq; potentissimo, feros nos cõtumaces nosmet ipsos præbemus. In eo autem nobis contra, Deus munificentiam suam, et μεγαλοψυχίαν tanquam ingratis exprobrare, et sic nobiscum rem expostulare videtur.

O Anglia Anglia, quid tu tibi vis. Quousque me ad scelera tua vlciscenda prouocabis? At at nunquam resipisces? Nunquam in te ipsam penitus introspicies? Nunquam gratiam meam tibi tam humaniter oblatam, grato animo recipies? hui, vsquedum respuis? quid est (pro hominum fidẽ) quid est (inquam) ni non hoc contumelia est. Nihil te lenitas mea, nihil te beneficentia mea, nihil tua cum bonis omnibus vita tranquilla, et felicitatis plenissima, nihil tam paternæ admonitiones, nihil aliorum supplicia, nihil aliorum cruciatus, et tormenta, nihil aliorum vita ærumnosa, nihil denique, cum omni feuentate seditionum procellæ turbulentissimæ, cum tu aris et focis saluis, domi conquiescis: nihil (inquã) hęc omnia te mouebũt? O Anglia nimis profecto ingrata es, et beneficiorũ immemor, An omnes tanta habent bonorum affluentia? An omnes pacem tam diuturnam? An omnes principem veræ Religionis tam studiosam et ad meam gloriam illustrandam tam propensam? In

memoriam

memoriam reuoca patrum tuorum miserandam conditionem: Recordare tempora illa Mariana luctuosissima. Animo altius repete, circumspice, respice alias nationes, et confer (quæso) tuam, cum aliorũ forte et cõditione. Satis iam satis experta es humanum, et benevolum patrem, caue ne experiaris vindicem ingratitudinis tuæ, tum in Principem, tum me Deum tuum seueriſsimum. Vetus dictũ est: Sero sapiunt Phryges. Vide ne sic prouerbium commutetur. Sero sapiunt Angli. Sed quid ego iterum Theologi partes ago, et satis hoc iam saxũ verso. Vt igitur sacrosãctam Dei personam, cum debita veneratione deponam: summatim dicam quod sentio. Si quid mali secum adfert aeria hæc candela, nobis iustissimo Dei iudicio debetur: Si quid boni, tibi præcipue (Regina nobilissima,) post te vero, eis tantum inter nos, qui ad meliorem vitã his spretis voluptatibus cõtendunt, et tuæ in hac vita clientelæ et patrocinio cõmissi, Christi præeuntis vestigijs sedulo insistere annitũtur. Nos igitur anteactæ vitæ pigeat, et pœniteat, et Deo admonenti pareamus. Tu autem princeps illustrissima

Aggredere ô magnos aderit iam tempus honores.

Illud postremo Medicorum pace dicam, omnes qui cholericæ vel malancholicæ sunt complexionis, si integra valitudine sequentem annum transigere cupiant, vtantur vel cibis, vel condimentis humectantibus, et hi calidis, illi frigidis, et

Vt fugiant morbi, sit mentis cura quieta
Aeris et victus, ratio, et mensura laboris.

Quod reliquum est, voce totius Dei ecclesiæ (quoniam illam Cometę significationem, non ex causis naturalibus, et philosophorum commentis, sed ex Dei sanctissimo, et certissimo verbo didici) dicam: Veni domine, veni cito domine Iesu. Amen.

Tuam

Tuam Deus misericors Ecclesiam
Defende, principemq; serenissimam:
Tuetor hanc cum Subditis Rempublicam
Da pacem Christe nobis et concordiam.

Amen.

Ad Lectorem.

Viue, vale: Si quid nouisti rectius istis
candidus imperti, si non: his vtere mecum.

A 637